

QUOD LEGATORUM.

8.3.1

Imp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Latinae.

Heredi scripto satis idonee lege Falcidia, si exhausta legatis successio probetur, per quartae retentionem prospectum est.

1 ¶ Unde si legatarius vel fideicommissarius non consentiente patre tuo, quem adseveras testatori successisse et bonorum possessionem accepisse, relicta sibi legata vel fideicommissa detinuit, secundum sententiam interdicti, quod adversus legatarios scriptis heredibus propositum est, oblata satisfactione, quam praestari oportet, in possessione constitui, ut ita retentione competenti utaris, experiri potes.

D. XVI k. Ian. AA. cons.

[a. 293]